UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri Disertissimi, Opera quæ exstant omnia

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

XI. Iacob. Sadoletvs S.R.E. Card. Ioan. Petro Carafæ, S.R.E. Cardinali S.P.D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-69244

Visual Library

noſtra mutua beneuolentia poſtulat, cùm tibi defero quicquid in me eſt, aut opis ad leuandum, aut ingenij ad conſolandum incommodum tuum, tum tibi imprimis hoc eſſe perſuaſum volo, neminem te habere fortaſſe, qui tui amantior, quàm ego ſim, eſſe poſſit. Qui verò fidelius aut conſtantius amicitiæ memoriam tueatur, habere te quidem certè neminem. Vale. Romæ, V. Idus Nouembris, M.D.XLVI.

XI.

IACOB. SADOLETVS S.R.E. CARD. Ioan. Petro Caraſæ, S.R.E. Cardinali S.P.D.

MAXIMA cum animi mei lætitia legiſſem tuas literas (ſignificabant enim humanitatem & beneuolentiam erga me tuam, quam in alleuando fidei meæ onere adhibuiſſes: quod ego tuum imprimis erga me officiū à tua virtute & prudentia poſtulaueră) niſi eædem ad me literæ detuliſſent querelam quandam multarum moleſtiarum, quas ſuſtines, & non obſcurum iudicium doloris tui, quē video tibi in animo exortum propter temporum calamitates, quibus & intus & extra ſic premimur & vrgemur, vt conſolationem vllam vix poſſit quiſquam, quamuis ſapiens, inuenire. Sed ego qui ad dandum tibi conſilium aptus non ſum, tamen confido te, cùm temetipſum reſpexeris, nec exijs quæ extra te, ſed quæ in te ipſo ſunt, expenderis, multas reperturum ad te cōſolandum vias. Omnino cuncta & ab impetu hoſtium infeſta, & ſeditionib. ac ſectis, quæ inter nos ipſos ardent, grauiter vexata ſunt: animis præſertim hominum, qui vbiq; ſunt his temporibus ac moribus vehementer infenſis. Sed tamen in quo culpa noſtra non eſt, id animo æquo omnes ferre debemus. Sed nō ingrediar ad diſputandum, neq; tibi meam ſapientiam oſtentabo, quæ prorſus nulla, magisq; ea mihi abs te eſt mutuanda. Quod partiū eſt mearum & mei muneris, id facere conabor: vt tibi agam pro tuo erga me ſingulari merito gratias, quas equidem habeo agoq; maximas: teq; obſecro: vt quę reſtant ad res illius monachorum ordinis, qui meæ fidei crediti ſunt, conſtituendas, eodem quo inſtituiſti conſilio prudentiaque gubernes: quo quidem nihil mihi accidere poteſt gratius. Vale. Carpent. II. Nonas Septemb. 1539.

XII.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. FRANciſco Quignonio Cardinali ſanctæ Crucis S.P.D.

QVAS poſtremas accepi à te literas, eis non reſpondi, quoniam tu ex Vrbe per æſtatem in alia loca ſalubriora ſeceſ-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN